LIMANA.

Canonizationis Beati FRANCISCI SOLANI Ordinis Minorum Sancti FRANCISCI de Obseruantia.

ANIMADVERSIONES REV.MI FIDEI PROMOTORIS SVPER DVBIO

An constet de Validitate Processus Remissorialis Cordubensis post indultam Venerationem confecti; Testes in eo sint ritè, & rectè examinati; & Iura in eodem producta sint legitimè compulsata in casu &c.

EMINENTISSIME, ET REVERENDISSIME DOMINE.

QVOAD primam partem Dubij circa Validitatem Processus, considerandum est primo loco, quod in litteris Remissorialibus fuit Iudicibus à Sacra Congregatione iniunctum, vt ijdem significare deberent, non solum generalitèr quæ fides Testibus examinatis adhibenda sit, sed etiam particularitèr super ijs, quæ per eosdem Testes deposita fuerunt, & an in deponendo aliquid viderint, & animaduerterint, per quod eorum depositio suspecta reddatur *Process. fol.49.tergo in fine*, & Summar.*Num.*2. Hoc autem non videtur adimpletum, quia litteræ responsiuæ Vicarij Generalis, subrogati in locum Episcopi, & quatuor Dignitatum, in quibus omnes se subscripserunt, nihil prorsus habetur, quod paritionem dicti præcepti præseferat *Proc. fol.*1.*&* 2. & quamuis contra solitum stylum quilibet ex prædictis, vltra præfatas litteras ab omnibus subscriptas, sub diuersis datis particularitèr Sacræ Congregationi rescripserit; attamen solus Archidiaconus aliquid insinuauit circa implementum præcepti, sed nec etiam ipse (qui solus formam præscriptam implere non potuisset) plenè satisfecit; tantummodò enim sub initio leguntur hæc verba -- *Et cum attendissem ad mei muneris obligationem maximo labore, maiorique qua potui cura, adimplere intendens eam, quam EE.VV. dictis Iudicibus imponunt, Sacra Congregationi significandi quod animaduertimus in con-*

stru-

structione dicti Processus, Vestris Eminentijs exponere debeo, me recognouisse circa Testes examinatos quendam eorum timorem, & diligentiam in deponendo, manifestantem satis eos proferre veritatem recto modo, vt conceptam habebant, ne in pœnas periurij, & alias censuras, quibus se submittebant, incurrerent, secundum quod Eminentia Vestra eis quam fidem promerentur, præstabunt, Proc. fol. 4. in fin.

Præterea in litteris subrogatorijs Vicarij Generalis in locum Episcopi, qui ob eius malam valetudinem interuenire nequibat, præscripta fuit forma, vt in singulis actibus procedere deberet cum quatuor Dignitatibus, nominandis per eundem Episcopum, & eo impedito, per Nuncium Apostolicum, & vacante Sede subrogatus fuit Vicarius Capitularis cum eadem obligatione procedendi cum quatuor Dignitatibus semper simul, & coniunctim *Proc. fol. 93. & 94.* & Summ. *Num. 3.* Quæ forma minimè seruata fuit in accessu ad Ciuitatem Nontiliæ, nec in actibus ibi gestis, nempè Visitationis Ecclesiæ nuncupatæ del Portico, Beato Solano dicatæ, & Cappellæ dicti Beati in Ecclesia Sancti Laurentij extra muros, ac eius Cellæ, seù Cubiculi; Descriptionis monumentorum ad Causam facientium in dictis locis repertorum; Descriptionis solemnitatis circa Fontem Baptismalem Ecclesiæ Parochialis Sancti Iacobi, è quo fuit eleuatus dictus Beatus; Compulsationis actuum Capitularium dictæ Ciuitatis; Examinis Peritorum, ac insertionis in Processu omnium prædictorum, dum ea omnia fuerunt peracta absque interuentu D. Ferdinandi Arias Saauedra Cantoris Cathedralis Corduben. vnius ex dictis quatuor Dignitatibus, vt videre est ex reuolutione Processus *à fol. 1828. tergo vsque ad fol. 1891.*

Agnouerunt hanc difficultatem Iudices, & in prima Epistola responsiua conati fuerunt se se excusare ob ætatem, & malam valetudinem, qua dictus Cantor premebatur, vt in *Proc. fol. 1. & 2.* & de tali impedimento exhibita fuit attestatio Medici *fol. 1830.* quam ipsi Iudices admiserunt *fol. 1828. tergo.* Verum dato etiam quod impedimentum esset legitimum, non erat in ipsorum Iudicum potestate illud admittere, attenta supradicta forma litterarum Remissorialium nimis clara, & præcisa, quod omnes simul, & coniunctim in vnoquoque actu conuenirent. Illaque proindè religiosè, & ad vnguem seruanda erat, reflectendo præsertim quod Decreta generalia præscribunt, vt litteræ Remissoriales dirigi debeant non minus quam tribus Episcopis, itaut duo saltem ex illis interueniant *fol. 37.* Vndè dum obtenta fuerat tam magna dispensatio, quod, ob difficultatem habendi plures Episcopos, sufficeret solus Cordubensis cum interuentu Dignitatum, & postmodum obtenta fuit etiam alia, profectò insolita, quod in locum Episcopi subrogaretur Vicarius Generalis, & Capitularis respectiuè, cum hoc tamen (vt est dictum) quod interuenire deberent vna cum ipso quatuor Dignitates, non poterant Iudices absque recursu ad Sacram Congregationem, & absque oraculo Sanctissimi interpraetari, quod attenta mala valetudine Cantoris tuto procedi posset ad actus, de quibus agitur; Vel saltem recurrere debuissent ad Nuncium Apostolicum, & petere deputationem alterius Dignitatis in locum dicti Cantoris infirmi, quamuis forsitan iurisdictio eidem Nuncio tributa in supracitato Decreto subrogationis Vicarij Generalis Summ. *Num. 3.* consumpta dici potuisset in actu deputationis factæ per Episcopum.

Con-

Considerari etiam potest alius defectus, quod scilicèt in Remissorialibus *Proc. fol.48. in fine*, & Summ. *Num.2. pag.9. in princip.* fuit iniunctum, vt pro finali complemento Processus Iudices visitare deberent Tumbam, seu Sepulchrum, memorias, & Reliquias, quæ in eadem Ciuitate, & Diœcesi Cordubensi adessent eiusdem Beati Francisci, & omnia describi facerent, actusque visitationis, & recognitionis dicti Sepulchri, memoriarum, & Reliquiarum per Notarium in scriptis redigeretur. Et licèt respectu Sepulchri hoc minimè impleri potuerit, ex quo Beatus obijt, & sepultus fuit in Indijs; potuisset tamen, & debuisset adimpleri ordo circa visitationem punctualem, & exactam Reliquiarum, & memoriarum eiusdem Beati, quod factum non apparet nisi respectu Cappellæ olim domus ipsius Beati in Ciuitate Montiliæ, nec non Cappellæ in Ecclesia Sancti Laurentij, & Cubiculi, seu Cellæ in Conuentu, in quo fertur nouitiatum peregisse, ac etiam Fontis Baptismalis, e quo fuit regeneratus, in quibus actibus tamen fuit commissus supradictus notabilis defectus non interuentus Cantoris. Nec Cordubæ facta fuit aliqua diligentia visitandi, & describendi memorias, & Reliquias Beati.

Hinc non est opus insistere in eo, quod Bartholomæus de Alba, & Didacus Valerius Scribæ maiores Ciuitatis Montiliæ, qui adhibiti fuerunt in scribendis actis in eadem Ciuitate, vt supra factis, non exhibuerunt pro ipsorum iustificatione titulos eorum deputationis, solumque attestationes à tribus alijs scribis eiusdem Ciuitatis *Process. fol.1846.* quod sanè non fuisset sufficiens ad iustificandam eorum legalitatem. Præsertim verò dum nec etiam habetur in Processu documentum vllum quod dicti tres Scribæ, qui authenticarunt personas dictorum Bartholomæi, & Didaci, sint verè tales.

Notandum est pariter, quod Iudices deputarunt Scriptorem pro scribendis depositionibus Testium *Processu fol.* 154. Vnde videntur excessisse limites facultatis eis tributæ in litteris Remissorialibus, in quibus præscriptum fuit, vt depositiones, & dicta Testium exciperent, & per fide dignum Notarium publicum per eos deputandum in scriptis redigi facerent *Proc. fol.47. & tergo*, & Summar. *Num.2. pag.8. ad med.* Vnde cùm iam præcessisset deputatio Notarij publici in personam Licentiati D. Ioannis de Zaldua, & Gamez *Proc. fol.27. tergo.* huius erat munus redigere in scriptis dicta Testium, nec poterat ad hunc effectum deputari alius, nempè Andreas de Pineda, prout factum fuit *Proc. dicto fol.* 154. Quodque idem in Scriptorem deputatus verè in scriptis redegerit depositiones Testium, ex eo apparet, quod subscriptus legitur loco Testium, qui scribere nesciebant, vt *fol. 243. tergo 332. 346 359. 372. tergo, & alibi.*

Deest quoque decretum formale clausuræ Processus, illiusque consignationis Portitori, quamuis appareat petitio, vt videre est *fol. 2014. tergo.*

Quoad secundam partem Dubij concernentem rituale Testium examen obseruandum videtur, quod in Epistola scripta per Archidiaconum Sacræ Congregationi *Proc. fol.5.* hæc habentur -- *In actuandi forma seruatus est, vt Vestris Eminentijs patebit, debitus ordo; In examinando verò Testes ipsa praxis lucem Tribunali dedit, vt clariori, & expeditiori modo fierent, scriberenturque examina, & Testium depositiones; nam primi Testes ad examen adducti, etiamsi interrogati fuissent de omnibus, & singulis, quæ in Interrogatorio continentur, de alijsque, quæ Iudi-*

cibus videbantur circa miracula, super quibus deponebant, quotiescunque Testium responsio non portabat notitiam aliquam de re, super qua fiebat interrogatio, breuitatis causa scribi omittebatur. Postea verò visum fuit, vt omnia specialitèr interrogata, & responsa in scriptis constarent, sicut Vestris Eminentijs in subsequentium Testium depositionibus patebit &c. Ideoque prima facie de primis Testibus vsq; ad nonum non videretur habenda ratio, dum ex confessione præfati Iudicis habemus eos reuera non fuisse præcisè, ac distinctè super omnibus circumstantijs interrogatos; Imò quod plus est, nec eorum responsiones fuisse integrè in Processu registratas. Nec ex reuolutione Processus apparet, quod in depositionibus dictorum 8. Testium primo loco examinatorum *à fol. 160. vsque ad* 321. fuerint ijdem specificè interrogati de circumstantijs, quamuis de aliquibus miraculis in responsione ad dictum octauum Interrogatorium deposuerint. In sequentibus verò examinibus à nono vsque ad vltimum forma præscripta tam in octauo Interrogatorio, quam in alijs apparet ad vnguem seruata, vt videri potest *à fol.* 337. *vsque ad fol.* 1808.

Cæterum, vt verum ingenuè fatear, existimo difficultatem hanc non esse solido fundamento innixam, sed fuisse merum scrupulum Archidiaconi. Quandoquidem bene inspecto tenore octaui Interrogatorij, nil aliud in eo præscriptum legitur, nisi quod Testes distinctè recenseant, atque describant omnes circumstantias facti, non autem quod Notarius scribere debeat omnes interrogationes, vt ex *Proc. fol.* 1815. *tergo.* Hoc autem in substantia, prætermissum non videtur, ex quo etiam dicti primi Testes vsque ad nonum satis distinctè circumstantias ass. miraculorum recensuerunt, vt signanter colligitur ex depositione primi iuxta dictum octauum *Proc fol.* 160. ibi -- *All'ottaua domanda disse &c. che alli diecinoue del mese di Aprile di questo presente anno la detta Maria de Pino sua madre ritrouandosi in età di settantasei anni finiti gli soprauenne vn accidente di febri maligne, & essendo stato auuisato il Dottore Don Francesco Solano Medico la visitò due volte, nel primo, e secondo giorno, e nel primo disse, che la febre era assai maligna, e gli applicò vna beuanda refrigerante di compositione di acqua di cicoria (à quel che parue) & alla seconda visita per ritrouarsi già incapace di medicina, e di sangue, la fece spedita, e commandò che gli amministrassero i Santi Sacramenti, & hauendoli riceuuti, il doppo mezzo giorno hauendola visitata il Padre Fra Francesco de Torres Guardiano del Conuento di San Francesco della detta Città esortandola gli disse, che si raccomandasse con molta efficacia all'intercessione del detto Beato Solano, e la sudetta sua Madre à questo si inferuorò molto &c. e la detta sua Madre continuò nella detta diuotione del detto Santo, & il detto Medico se bene continuò nelle sue visite ciò fù senza applicargli rimedio alcuno per la maggior debolezza, che andaua pigliando il soggetto, & al quarto giorno questo dichiarante riconobbe che la detta sua Madre era senza febre, nè accidente alcuno, & il detto Medico parimente concorrendo à visitarla disse che staua bene, e che quello era stato vn miglioramento miracoloso, il quale miglioramento &c. si continuò fin ad hoggi senz'hauer hauuto alcun altro accidente &c. E che rispetto al riferito questo Testimonio, e la detta sua Madre, e Diego Lopez Hurtado suo fratello, & altri della sua famiglia giudicarono, che il detto Beato intercedesse per la salute di sua Madre mediante il feruore, e diuotione &c. e similmente, che in detto tempo dell'infermità, ne quando prese il miglioramento non seppe che hauesse la detta inferma sudore, vomito, nè*

altro genere di euacuatione naturale &c. Et iuxta idem pariformiter deponit secundus Testis *Proc.fol.*188. & alij successiuè, qui per extensum non dantur ad consulendum breuitati. Indeque satis apertè detegitur, quod præfatus Archidiaconus fuit nimis scrupulosus, dum Testes satis præcisè adimpleuerunt formam in dicto Interrogatorio præscriptam, recensendo distinctè omnes circumstantias substantiales. Immò ex tali modo respondendi non obscurè comprehenditur, eosdem Testes fuisse super talibus circumstantijs interrogatos. Et difficultatem, si quæ forsan superesset, in totum remoueret animaduersio, quod iuxta nonum, & sequentia Interrrogatoria, in quibus specifica mentio habetur de Miraculis in articulis enumeratis, apparet quod Iudices exactissimè interrogarunt Testes de omnibus circumstantijs, & registratæ leguntur responsiones.

Superest discussio tertiæ partis Dubij circa legitimam Iurium compulsationem, circa quam aduertitur, quod in exhibitione Crucis (quæ dicitur fuisse B.Francisci Solani) vnà cum attestatione Roderici Fernandez, eiusque vxoris, facta in *Processu fol.992.tergo* plura occurrunt; Primò, quod dicta Crux non probatur per dictam attestationem quomodo è manibus dicti Beati peruenerit ad manus dictorum Coniugum; Secundò, quod eorundem attestatio non suffragatur, vtpote facta ad perpetuam rei memoriam, & non recognita pro authentica; Tertiò, quod cum de tempore factæ attestationis nempè 3.Nouembris 1685. *Proc.fol.994. tergo* conficeretur hic Processus, dicti Coniuges debebant se exponere examini super identitate dictæ Crucis coram Iudicibus Remissorialibus; Quartò, quod Decreta nouissima, quorum obseruantiam in hoc actu protestati fuerunt Subpromotores, & ea per extensum registrari curarunt in Processu *fol.*1489. prohibent §.9. insertionem in Processibus huiusmodi attestationum extraiudicialium; Et quinto tandem quod tres Periti, inducti super recognitione Crucis Beati Francisci, non fuerunt interrogati à Iudicibus Remissorialibus super identitate dictæ Crucis, nec super ratione eorum dicti, exclusiui virtutis in ligno, ex quo dicta Crux est compacta, vt videre est *dicto Proc. à fol.*1440.*ad* 1444.*tergo*.

Quæ dicta sint sub censura, saluo &c.

P. Bottinius Archiepisc. Myren.
Fidei Promotor.